Lane Medical Library

DE

CHLOROSI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA-GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XX. M. JULII A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JULIUS SCHREIBER.

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. HOCHAUF, MED. ET CHIR. CAND.
R. SCHWARTZ, MED. ET CHIR. DD.
O. GALLUS, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS PETSCHIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0118

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,
EXPERIENTISSIMO,

FAUTORI OPTIME MERITO

FRIDEIRCO BUSSE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO, REGI A CONSILIIS MEDICIS, MEDICO AULICO REGIO, ORDINIS REGII AQUILAE RUBRAE EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM MEDICARUM SODALI ETC. ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

UT GRATI ANIMI ET VENERATIONIS SUMMAE

SIGNUM

MAXIMA CUM REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIUNCULA.

Quicunque ad conscribendum opusculum sese accingit, ita scribat oportet, ut non solum materies ipsa lectorum attentionem excitet ac mereatur, verum etiam modus exponendi, sive forma libelli delectet. Quod quum difficillimum sit viro in litteris bene versato, neminem miraturum esse existimo, si tironem ne alterutri quidem lectorum desiderio satisfecisse invenerit. Est tamen, quod unumquemque scribentem, sive est tiro, sive vir magna eruditione instructus, agere oporteat, ut materiem, quam sibi sumserit, ab omni parte perpendat caveatque, ne descriptio imperfecti et manci quidquam habeat. Quam equidem ad concinnandum opusculum inau-

gurale elegi, materies satis ampla est et virorum eruditissimorum, tam antiquiorum quam recentiorum, studio pervestigata; veruntamen, quod penes me fuit, omnia necessaria atque quasi essentialia colligere, nexu idoneo jungere et singula explicare studui, ut libellus quanquam per se tenuis, numeris suis fieret absolutus. Proinde non dubito fore, ut lectores benevoli, virium mearum imbecillitatis memores, alia excusent, alia animo indulgenti excipiant.

§. 1.

Quodsi morbum a symptomate quodam singulari appellare licet, noster recte apteque dicitur chlorosis, etenim color, quo aegrotantes insigniuntur, adeo peculiaris est, ut solus ad eruendam diagnosin sufficere soleat. Tametsi vox graeca χλοερὸς s. χλωρὸς significatione ambigua est, modo colorem e pallido virescentem, modo pallidum aut subpallidum, modo luteum denotans, vero tamen simile est, *Hippocratem*, qui morbum nostrum χλώρισμα vocat, colorem innuisse e viridi pallescentem, quum apud eundem auctorem χλωριάζω s. χλωριάω cum virore pallescere significet. (V. Epidem. l. IV, 21, 19). Primi autem *Bauhin* et *Varendé* morbo indiderunt nomen Chlorosis, quo omnes propemodum scriptores recentiores utuntur. Obiter tantum memoranda sunt alia nomina, minus idonea, ut icterus albus (*Ettmüller* et *Sauvages*), febris alba et virginum obstructiones (*Mercatus*), febris amatoria (*Lange*), morbus virgineus (*Sennert*), oppilationes (*Tissot*).

§. 2.

Ut chlorosis definitionem paucis complectamur, morbum dicimus cachecticum, qui debilitate universa, functionum omnium perturbatione et cutis colore singulari, plurimum e pallido virescente, se manifestat; reliqua, quae observantur, symptomata nimis variant, quam quae definitione succincta possint comprehendi.

Sunt quidem, ut *Colombat*, qui chlorosin dyscrasiis interponant. Horum autem sententiam propterea minus probandam censemus, quod vitiosa humorum mixtio, quam haudquaquam negamus, nihil habet specifici, quo telae anomalae s. accidentales formentur, ut in scrophulosi, tuberculosi et aliis dyscrasiis; ceterum illam humorum mixtionem perversam mox habitus corporis malus sequitur, quae notio est primitiva et vetustissima cachexiae (*Celsus*, de Med. l. III, 22). *Schoenlein* chlorosin familiae cyanosium adnumerat, etenim analogiam quandam phaenomenorum in omnibus hujus familiae morbis observari affirmat (V. ejus spec. Pathologiae et Therapiae 4tam ed. T. II, pag. 35).

§. 3.

Chlorosis non subito et uno quasi impetu irruit, si eam excipias varietatem, quae profusas sequitur haemorrhagias, potiusque anaemiae nomen meretur, quoniam et genesis ejus et symptomata pathognomonica non minimum a vera chlorosi discrepant. Prodromi, quibus chlorosis praenuntiatur, jam ejusmodi sunt, ut morbum constitutionalem suspicari possis, quo neque unum alterumve organon, neque hoc illudve systema, sed universa oeconomia animalis pervertatur. Inter illos prodromos locum principem tenet impedita aut inaequalis organismi evolutio, ita ut disproportio, sive concinnitatis defectus inter tota systemata, vel singulares functiones, animadvertatur. Quaecunque corporis actiones peraguntur, inertiam produnt insolitam, relaxationi consentaneam, quae toto habitu externo declaratur; ex altera parte systematis cerebralis et gangliorum aesthesis modo exaltata, modo hebes invenitur; quandoque

sensationes plane abnormes, indolem specificam habentes (paraesthesia) occurrunt.

§. 4.

Chlorosi jamjam exorta, prae ceteris omnibus illud symptoma in oculos incurrit, quod morbo nomen dedit: singularis mutatio coloris. Rubor, ut dicitur, transparens tam genarum, quam aliarum partium, prorsus evanescit, facies pallorem, sed non albedinem induit, nam pallori aliquid gilvi vel viridiusculi admiscetur, sola oculorum sclerotica alborem margaritaceum offerre solet, maxime abhorrentem a palpebris inferioribus, quippe quae livescant, tumeant, imo interdum sacculos, oedematum speciem imitantes, referant, praesertim tempore matutino. Pallor ille livescens non cutem tantum inficit, verum etiam tunicas mucosas, nominatim labiorum partem rubicundam et linguae superficiem, quae saepe muco spisso, tenace oblinitur. Temperies cutis semper diminuitur, inprimis extremitatum omniumque partium prominentium, ut aurium, nasi, aliarumque, quamobrem aegrotantes frigoris sunt impatientes, horripilationibus tentantur et calorem appetunt. Etsi cutis laxitas manifestissima est, minime turgor quidam desideratur, facies enim tumida, pastosa apparet, quod phaenomenon scriptores turgorem lymphaticum s. chloroticum appellant. Mira est musculorum debilitas, haud dubie illa a sanguinis prava mixtione derivanda, etenim alii quoque morbi cum cacochymia sanguinis conjuncti, ut cyanosis, et scorbutus, phaenomenon idem offerunt. Proinde laborantes levioribus corporis exercitationibus jam fatigantur, quietis amantes sunt et somnolentiae insolitae indulgent. Pulsum esse frequentem, nonnunquam frequentissimum (ict. 120 — 140 intra horae minut.),

propemodum omnes pathologi consentiunt; recte tamen nonnulli (*Wolff*) adnotant, conquiescentibus aegrotis saepe pulsum esse rarum, sed levissima quavis actione, ut lenta ambulatione, imo loquendo, accelerari. De reliqua pulsus natura scriptores varia tradunt: quemadmodum enim alii, iique plurimi, pulsum describunt parvum, debilem, inanem, utpote qui cum chlorosis charactere conveniat, ita alii (*Colombat*) eum satis latum, compressu difficiliorem, in singularibus tantum casibus parvum atque mollem dicunt; sunt qui febrem, levem illam quidem, sed continuam adesse contendant (*Vachier*). Respiratio tarda est, difficilis, laboriosa, quisque corporis labor, imo levis exercitatio, quisque animi affectus aegrotantes cogit, ut spiritum alte ducant, quare secundum *Schoenlein* haud vera dyspnoea adest, sed apnoea, qua fit, ut thorax debito modo expandatur, si plus contentionis inspirationi impenditur; recte igitur haec spirandi difficultas asthmati nervoso interponenda videtur. Cor frequentibus palpitationibus tentatur, inter quas et in ipso corde et in arteriis majoribus, ut aorta et carotidibus, susurrus felinus (bruit de diable, *Bouillaud*) animadvertitur. Ciborum appetentia imminuitur, assumtos eos regionis epigastricae oppressio, flatulentia, ructus acidi, pyrosis sequuntur; sapor pituitosus, vapidus est, vomituritiones, interdum vomitus aquosus (hydremesis), haud raro accedunt, inprimis jejuno ventriculo; quandoque dolor nervosus oesophagi decursum sequitur et ad scapulas protenditur (*Colombat*). Altera ex parte accidere potest, ut aegrotantes non esculentas substantias, ut calcariam, carbonem, cretam, telam aranearum, alia appetant, avideque devorent (pica chlorotica). Alvus variat: plurimum obstipatio locum habet, plures dies continens, nonnunquam diarrhoeae intercur-

runt, quibus materiae semicrudae redduntur, (*Schoenlein*); diarrhoea deficiente faeces albidae, siccae esse solent. Urina parca et pallida secedit; attamen copia ejus, quemadmodum apud mulieres hystericas, interdum larga invenitur. Partium sexualium functiones a norma semper aberrant: si ante pubertatis periodum chlorosis exorta est, neque menstrua ipsa, neque molimina menstrualia apparent; sin catamenia jam fluxerunt, et quantitas et qualitas et periodismus eorum mutatur; plerisque enim in casibus menostasia existit, alias per intervalla longiora sanguis parcus, rubellus, alias mucus tantum redditur et molestus accedit fluor albus, tum continuus, tum periodicus. Quibus menses fluunt, saepe redeunte profluvii tempore molimina menstrualia inimicissima, ut dolores pelvis, regionis sacrae et lumbaris, tubi intestinalis (colica menstrualis), languor artuum inferiorum, interdum stupor eorum, sanguinis orgasmus ad caput et pectus, unde cephalalgia vehemens et asthma, superveniunt. Si pueri pubescentes chlorosi tentantur, partium sexualium evolutio subsistit: testes haud crescunt, erectiones penis atque seminis effluvium deficiunt, vox tenuis et acuta (infantilis) manet, barba et pubes non proveniunt. Corpore magis languescente, oedemata in conspectum prodeunt, initio plerumque circa pedum malleolos, quae tamen ab oedemate vero differre dicuntur eo, quod digitorum pressione foveas non recipiant (*Gardien*).

§. 5.

Jam a solidis partibus ad fluidas animum convertimus, inprimis sanguinis mutationem notatu dignam esse, nobis persuadebimus. Sanguis menstruus, si quis editur, aquosus, pallidus apparet linteaque tingit maculis,

quae siccescentes decolorantur; haud aliter sanguis e vena missus sese habet; placenta ejus exigua est, mollis, diffluens, serum uberrimum. Analyses sanguinis mulierum chloroticarum, a *Foedich* et *Lecanu* institutae, magnam ejus differentiam a sanguine sanarum commonstrant. *Foedich* in sanguinis mulieris sanae partibus mille invenit:

cruoris,	seri,	fibrinae,	aquae,	ferri.
124,00,	86,01,	25,11,	756,87,	8,01.

In sanguinis partibus mille mulieris chloroticae:

cruoris,	seri,	fibrinae,	aquae,	ferri.
91,41,	93,61,	6,40,	806,28,	3,30.

Analysis sanguinis chloroticae mulieris, quam *Lecanu* instituit, similes partium constituentium proportiones obtulit; partes mille enim continebant: aquae 862,40, globulorum sanguinis 55,15, albuminis, materiae fixae, adiposae, extractivae 82,45.

Videmus igitur, sanguinem chloroticarum et cruoris et ferri inopem esse, sero autem et aqua, quae quidem a *Foedich* distinguuntur, maxime abundare.

§. 6.

Systematis nervosi affectiones, quarum nonnullas jam supra obiter memoravi, nunquam desiderantur; modo enim systema cerebrale, modo gangliorum, modo spinale abnormes praebet actiones, modo per omnia haec systemata fere aequabiliter morbus diffunditur. Aegrotantes magnae indulgent tristitiae et pusillanimes existunt, solitudinem amant, multum suspirant, lacrymas fundunt, saepe immorigerae sunt et iracundae; imaginatio exaltata continue operatur et funestas parit cogitationes, ut de salute sua desperent, mortemque implorent. Luce diurna deterior est nox, quippe quae somnum

placidum minime largiatur, sed somnia terrifica ferat, imo somnambulas reddat. Sensuum mentisque hallucinationes nunquam omnino absunt; inprimis aurium susurrus ac tinnitus, photopsiae aut scotomata, oxyecoia, vertigines observantur. Multis tremor artuum supervenit, aut convulsiones hystericis similes, et generatim paucae inveniuntur chloroticae, quibus hysterici aliquid non insit.

§. 7.

Quae enumeravimus symptomata, haec longum per tempus absque mutatione eximia persistere possunt, inprimis si novae causae organismum non violenter afficiunt, sed lente tantummodo agentes morbum fovent. Sin vero neque ars, neque regimen idoneum aegrotantibus succurrit, omnia ad majorem gradum evehuntur, imo adeo minacia fiunt, ut de vita metuendum sit. Dolor nervosus inimicissimus, continens, occipiti plerumque insidens, cutis color e sordido virescens, venter durus atque tensus, continua sitis, dyspnoea ingens, frequentes lipothymiae, cordis palpitationes molestissimae, quibus denique febris symptomatica accedit, (hectica), cum universi corporis macilentia, hydrope universali, colliquationibus. Notandum tamen est, exitum huncce funestum rarioribus modo in casibus timendum esse.

§. 8.

Etsi chlorosis tam singularia offert symptomata, ut ab aliis conditionibus morbosis facile distinguatur, tamen affectionum nonnullarum mentio facienda est, quae passim cum ea confunduntur. Prae aliis huc pertinet anaemia vera, quam *Andral* a chlorosi minime

discrepare contendit. Veruntamen anaemia in diminutione massae (quantitatis) sanguinis, non in peculiari ejus mutatione (qualitatis) nititur, etenim abundantia seri et turgor ille chloroticus plane deficiunt; ceterum anaemia vel subito, vel cum rapiditate quadam irruit, et neque aetatem, neque sexum respicit. Sunt etiam, qui chlorosin cum ictero confundi posse censeant, quod equidem vix crediderim, dummodo animum ad colorem cutis, ad urinam, ad excrementorum indolem attendas; praeterea morbus ictericus sine hepatis affectione oriri nequit, quae, si in chlorosi observatur, modo complicationibus adnumeranda est. Turgorem lymphaticum, in chlorosi obvium, similitudinem alere cum hydrope anasarca, jam supra adnotavi, simul autem addidi, priore in casu digitorum pressionem non sequi foveas, quas partes anasarca laborantes semper recipiant. Denique pallor faciei simplex, amenorrhoeam fere omnem comitans, pro chlorosi habendus non est, nisi pathognomonica hujus phaenomena, quae supra descripsi, locum habeant. Minime tamen *Schönleinii* sententiam probo, qui discrimen in eo ponit, quod in chlorosi non modo omnia menstruationis molimina, verum etiam propensio ad qualiacunque profluvia sanguinea, desiderentur, nam molimina menstrua inimicissima interdum apparere, supra (§. 4.) animadverti.

§. 9.

Quod ad morbi decursum et exitum pertinet, notandum est, chlorosin raro post aliquot hebdomades finiri, verum per menses, imo per annos plerumque protrahi, atque tum demum vel sanitati, vel morbis aliis cedere. Sanitatis rediturae signa haec sunt: faciei pallor evanescens, pulsus pleniores, menstruatio aut

revertens, aut ad normam propius accedens; si virgines nondum menstruant, primum muci aliquid meri, dein muci sanguinolenti portio modica, postremo sanguis solus editur; verum etiam sanatae nondum prorsus tutae sunt, quia chlorosis saepe fit recidiva, praesertim inimica tempestate et imminente catameniorum fluxu. Inter morbos chlorosin excipientes, aut vigenti supervenientes, praecipue referantur oportet affectiones graves nervorum splanchnicorum et plexuum abdominalium, hysteria exquisita, melancholia, paene fatuitati similis, aut nymphomania, quarum haec ordinum superiorum, illa ordinum inferiorum mulieres adgredi solet. Satis crebro morbi cordis, inprimis dilatationes, nec non pulmonum, ut phthisis tuberculosa, quae fere semper decursum rapidum absolvit, oboriuntur. Haud minus viscera abdominis tentantur morbis consecutivis, nominatim lien indurationibus et atrophia (*Schönlein*), quae hydropem asciten et anasarca inducunt, quibus denique hydrothorax addi potest. Praeterea vero hydropsiae non semper morbos viscerum organicos sequuntur, sed etiam sua sponte ex universi organismi adynamia evadunt.

§. 10.

De natura et causa proxima morbi chlorotici pathologi maxime inter se dissentiunt. Jam *Galenus*, quem *F. Hoffmann*, *Hamilton* et alii secuti sunt, chlorosin deduxerunt ab adynamia organorum chylopoëticorum, nominatim ventriculi atque tubi intestinalis, provocantes ad vitiosam digestionem in hoc morbo obviam. Scire autem oportet, chlorosin haud raro prius apparere, quam digestionis perturbationes animadvertantur, has igitur pro causa habendas non esse.

Multi alii, ut *Sennert*, *Cullen*, *Tissot*, *Pinel*, asthe-

niam accusant organorum sexualium et statum pathologicum proprium, qui ex catameniorum defectione prodeat. Sin vero meditamur, non solum menses quibusdam in casibus fluere, verum etiam juvenes mares quandoque chlorosi tentari, facile nobis persuadebimus, illam sententiam basi firma minime fulciri. Multo magis eorum opinio nobis arridet, qui, ut *Andral*, *Bouillaud*, *Brachet*, *Trousseau*, causam in asthenia systematis vasorum et in vitiosa sanguificatione, quae inde profluat, collocant Quae quidem sententia ad majorem probabilitatis gradum evehitur, si sanguinis indolem supra (§. 5.) descriptam, nimirum inopiam cruoris et fibrinae, abundantiam seri, intuemur. Aliquantum tamen a vero aberrare videtur *Pujol*, quippe qui ferri diminutionem aut defectum in sanguine causam existimet, nam indagandum antea est, quidnam defectum illum, aut diminutionem efficiat. Sunt etiam (*Wagner*), qui chlorosin, evolutionis morbum dicant, itaque periodo evolutionis, nominatim impedimentis in hac obviis, magnas partes in evolvendo nostro morbo tribuant. Teste *Colombat* causa primaria cernitur in asthenia totius systematis nervosi, praesertim systematis gangliorum, sive in vitiosa innervatione et manca actione nervorum splanchnicorum. *Dupuy* etiam nervorum affectionem defendit, quae secundarie abundantiam seri in sanguine, s. haematosin serosam (hyperhydraemiam) efficiat. Causam primitivam vitiosae innervationis organismi in pathologica uteri conditione ponendam arbitratur. Quod ad nos pertinet, chlorosis naturam collocamus in illa sanguinis conditione vitiosa, quam *Dupuy* hyperhydraemiam appellat, si quidem pallor cutis, proprius habitus lymphaticus, laxitas musculorum, introitus hydropsiarum aliaque ex hoc fonte facile derivantur. Sanguificationem igitur

male succedere, non est, quod dubitemus; attamen nervorum efficaciae turbatae multum imputare debemus, utpote quae haud dubie impediat, quominus organa assimilationis functioni suae, nimirum aptae chylopoësi, rite provideant. Huc accedit, quod pulmones, qui et ipsi nervorum imperio labefacto submittuntur, imperfectam tantum sanguinis decarbonisationem efficiunt, itaque illam sanguinis cacochymiam oriri patiuntur, quam supra descripsimus. Si solam vasorum astheniam, i. e. sine systematis nervorum labe, statuimus, multa phaenomena chlorosin comitantia interpretari nequimus, ut palpitationes cordis frequentes, dyspnoeam, motuum omnium languorem, lipothymias, specificas appetentiae mutationes, convulsiones aliasque spasticas affectiones.

§. 11.

Causae remotae chlorosis partim disponentes, partim occasionales sunt. Quod ad illas attinet, experientia docuit, morbum nostrum praecipue in regionibus septentrionalibus apparere, raro in australibus (*Schönlein*), ita ut frigus et tempestas madida momenta disponentia exhibere videantur. Sexum sequiorem singulatim morbo chlorotico esse opportunum, nemo ignorat, potior enim sexus raro, nec nisi circiter pubertatis periodum ab eo corripitur. Ex quibus patet, ipsam evolutionis periodum disponentibus momentis esse adnumerandam, quae cum longe majorem dignitatem obtineat apud mulieres quam viros, facile est intellectu, chlorosin illas frequentius invadere debere quam hos. Hereditate propagari posse chlorosin, quod *Colombat* existimat, minus est probabile, quoniam haud dubie dyscrasiae aut cachexiae aliae accusandae sunt, tam hereditariae quam acquisitae, quae, quum vegetationis processum pervertant, puellas ad

chlorosin propensas reddunt. Scimus nimirum, constitutionem corporis et lymphaticam et nervosam, maxime vero diathesin scrophulosam, morbo nostro favere. Recte igitur, ut nobis videtur, *Horn* causas chlorosis disponentes sic exponit: „teneritas atque debilitas universi corporis momenta praedisponentia exhibent, quare morbus creberrime puellas adgreditur, quae, si ad pubertatis periodum prope accesserunt, rapidiora corporis incrementa experiuntur, quibus vires vitales generatim exhauriuntur, speciatim vero offensio et hypersthenia systematis irritabilis inducitur. Quo rapidius absolvitur evolutio, eo facilius chlorosis puellas antea sanas adoriri potest. Frequentissime tamen dispositio ad chlorosin morbis praegressis; aut injuriis aetati infantili illatis efficitur: namque puellae corpore gracili, fibra laxa instructae, quae teneriore aetate scrophulosis aut rhachiticis affectionibus, dyspepsia, helminthiasi, cet. laboraverunt, quia reproductio admodum tarda est, imminente evolutionis periodo facillime in chlorosin incidunt."

§. 12.

Causarum occasionalium magnus est numerus, eaeque in universales et locales distribui possunt. Illis primum accensendae sunt diaeteticae, nutrimenta scilicet incongrua, prava, cruda sic dicta, mole sua ventriculum onerantia, sed parum alimenti praebentia, ut omnia leguminosa, farinosa, pultacea, aeque ac caro corrupta, vel dyspepta. Altera ex parte usus praematurus aut nimius ciborum potuumque excitantium et calefacientium, utpote qui nervorum vim et energiam per hypersthenniam exhauriat, accusandus est. Idem efficere videtur, ut virgines ordinum superiorum, pubertatis periodum assecutae, paene frequentius chlorosi infestentur, quam

ordinum inferiorum. Non minus in causis esse solet defectus exercitationis debitae, quare puellae, a teneris inde vitam sedentariam agentes manuumque operibus (suendo, nectendo) victum quaerentes, raro ab hoc morbo tutae sunt. Locum haud infimum inter causas occasionales tenent domicilia insalubria, humide frigida, subterranea, quum et aëris puri accessum arceant et cutis transpirationem graviter offendant; verum domicilia quoque per se non insalubria, at nimio hominum numero referta, quum evaporationibus noxiis scatere soleant, plurimum detrimenti afferunt, praesertim si immundities accedit. Vestitus corporis incongruus eo potissimum nocet, quod partim cutem aëris inimicitiis submittit, partim transpirationem ejus nimiam fovet, ergo utroque in casu perfrigeriis ansam praebet. Quum perturbatio secretionum et excretionum naturalium et habitualium systemati nervoso et reproductivo multa detrimenta inferat, nemo mirabitur, mensium profluvium retentum aut suppressum adducere chlorosin; veruntamen amenorrhoea vel menostasia, cum nostro morbo conjuncta, non semper ejus causam exhibet, sed ex eodem fonte evadit, cui ille originem debet, nimirum ex universa debilitate. Causas psychicas omnes agnoscunt pathologi: non solum autem animi pathemata huc pertinent, inprimis deprimentia, sed etiam praematura et nimia mentis incitatio, ergo praepropera ingenii evolutio, quae cum corporis damno patratur. Venus quoque multifarias parat injurias: instinctus sexualis praemature excitatus, priusquam organa sexualia eam obtinuerunt evolutionem, ut functionibus omnibus praeesse possint (*Schönlein*), excessus in venere, tam per coïtum, quam per onaniam, nec non, ut *Horn* putat, nimis diu prohibitus Veneris usus, quoniam chlorosis causa gravissima

in manca uteri actione vitali ponenda sit. Onania inprimis apud pueros pubescentes chlorosin, aut affectionem huic simillimam gignit, quam *Brandis* accuratissime descripsit et cachexiam pubertatis nuncupavit. Jactura humorum generatim in causis occasionalibus numeranda est, speciatim haemorrhagiae, menstrua aut lochia profusa, metrorrhagiae, infantium lactatio ultra modum continuata; simili modo morbi acuti nimiis venaesectionibus impugnati, febres nervosae praegressae (*Schönlein*); sunt tamen, qui chlorosin causis relatis inductam spuriam nominent (*Horn*), utpote quae cum systematis sexualis evolutione nihil commercii habeat. Denique memorandae sunt causae locales et organicae, ut atresia vaginae, orificii uterini, adhaesiones, indurationes, tumores uteri vel ovariorum.

§. 13.

Praedictio in universum fausta potius habenda est, quam infausta, etenim major chloroticarum numerus vel radicitus sanatur, vel ad eam valetudinem saltem reducitur, ut de vita nos nihil timere oporteat. Quodsi morbus recens ortus apta curatione, tam pharmaceutica quam diaetetica, impugnatur, non raro paucas inter hebdomades sanitas restituitur, aut morbi vis eatenus frangitur, ut sola natura ejus reliquias depellere valeat. Generatim externae conditiones aegrotantium magni sunt momenti; si enim diaeta et regimen pravum causas disponentes, vel occasionales suppeditarunt, si egestas, curae aliaque impedimenta medelam idoneam non admittunt, aut prosperum ejus eventum minuunt, chlorosis non modo in tempus longum protrahitur, verum etiam secundaria mala adducit. Singulatim ad prognosin recte determinandam haec respicienda sunt: tempus aegrota-

tionis, nam quo diuturnior est morbus et quo magis symptomatum gradus diuturnitati respondet, inprimis quo majora incrementa corporis anaemia, aut dissolutio sanguinis cepit, eo minor sanationis spes affulget. Deinde quaerendum est, num complicationes exstent et quales sint; sola digestionis organorum perturbatio minoris aestimanda est, quam topicae affectiones viscerum abdominis parenchymatosorum, maxime lienis. Summatim morbi topici cum fabricae mutationibus conjuncti, ut hepatis, lienis, uteri, ovariorum cordis, sive causam chlorosis occasionalem praebuerint, sive ex ea prodierint, mali ominis esse solent. Hydrops anasarca et ascites chlorosi supervenientes interdum feliciter sanantur, rarissime hydrothorax, quippe qui vel extremam corporis adynamiam indicet, vel ad morbum, cordis aut pulmonum accedat. Tuberculosis, quae ex chlorosi evolvitur, omnem valetudinis restituendae spem suspendit et teste *Schönlein* mortem inevitabilem infert. Bona plerumque praesagire licet, quando menses retenti aut suppressi fluere incipiunt. si quidem haud raro symptomata, quae admodum minacia videbantur, ut cordis palpitationes molestissimae, dyspnoea gravissima, virium languor, imo hydropsiae, tali profluvio cedunt et valetudo revertitur secunda.

§. 14.

Curatio morbi chlorotici ad indicationes accommodanda est, quarum prima, sive causalis, in eo cernitur, ut aegrotantes idoneo regimini et diaetae subjiciantur. Prae omnibus arcendae sunt injuriae, quae cutis functionem offendunt, ut frigus et humor, quorum maxime impatientes esse solent chloroticae. Proinde atmosphaera, in qua degunt, pura sit, sicca, tepida,

venter et pedes quam maxime a perfrigerio defendantur. Quodsi domicilia ita constituta sunt, ut huic indicationi minime respondeant, imperandum est aegrotis, ut quotidie aëri externo aliquamdiu sese committant et corpus sub dio exerceant. Generatim tales exercitationes sunt saluberrimae, quae usque ad levem corporis fatigationem, non ad virium defectionem usque instituuntur, nam quaecunque modum excedunt, detrimenta afferunt. Imo chloroticae saltationibus, si delectantur iis, indulgere possunt, dummodo corporis aestum aut languorem vitent. Si regio ipsa impedit, quominus aëre fruantur tepido atque salubri, rare vivant praecipueque regiones altiores, aëris perflatum habentes, eligant. Non solum vero temperies corporis et nutritio talis sit, ut morbi causae impugnentur, sed etiam regimen universum huic indicationi prorsus respondeat. Proinde corporis exercitatio aegrotantibus imperetur, quae, licet fatiget, non eo usque continuanda est, ut vires exhauriantur; compertum habemus, saltationes chloroticis esse gratissimas et non modo animum earum exhilarare, verum etiam corpus firmare. Somnus nec nimis sit brevis, nec longior, cubile duriusculum magis quam molle; animi affectus studiosissime arceantur; causae denique locales, ut atresiae hymenis, vaginae, orificii uterini, operatione submoveantur.

§. 15.

Indicatio altera et morbum ipsum et complicationes respiciat necesse est, quare non semper iisdem medicamentis uti oportet. Quem in finem partim remedia solventia, partim excitantia et tonica, partim emmenagoga requiruntur, prout vel haec, vel illa complicatio subest. Primis corporis viis emetico vel laxanti remedio,

si opus est, perpurgatis, vel acido libero ventriculi medicamentis absorbentibus temperato, ad amara leniora transeundum est, ut Fumariam, Millefolium, Absinthium, quorum in locum postea amara pura et graviora substituenda sunt, inprimis Gentiana et Quassia. Modo herba, radix, lignum horum remediorum forma infusi exhibeatur, modo extractum forma solutionis, sive elixirii, cum aqua Menthae, Melissae, Foeniculi et cum tinctura Rhei vinosa, modo pilularum forma, cum pulvere corticis Cascarillae, corticis pomorum Aurantii, cet. Quibus aliquamdiu praemissis, Ferro locus est, ita vero, ut a praeparatis mitioribus ordiamur et ad graviora paulatim progrediamur. Multum laudis sibi peperit Ammonium muriaticum martiatum, quod vel aqua Cinnamomi vinosa solutum (ʒj ad ʒß) guttatim, vel cum Galbano, Myrrha aliis pilularum forma praeberi potest. Inter Ferri tincturas locum principem meretur tinctura Ferri pomati, propterea quod aqua Cinnamomi vinosa, quacum paratur, egregium est stomachicum; non minus utilitatis tinctura Ferri muriatici oxydulati cum tinctura corticum pomorum Aurantii, vel extractum Ferri pomat. cum Galbano et parvis Rhei dosibus praestare solet. Maxime autem ab omnibus celebratur Ferrum carbonicum, tam pulveris quam pilularum forma exhibitum, additis modo his, modo illis, remediis adjuvantibus. Pilulas ex Ferro carbonico, foliis Taxi baccatae, Secali cornuto, pulvere herbae Digitalis, quamque chlorosin tollere, ad quam febris hectica aut hydrops nondum accesserit, *Neumann* affirmat; quod quidem, ut mihi videtur, iis tantum in casibus contingit, quibus amenorrhoea pertinax subest. Aquas martiatas nativas, inprimis Ferrum carbonicum continentes, omnibus paene Ferri praparatis artificialibus praestare, *Schönlein* recte

adnotat, ut Pyrmontanam, Sualbacensem, Bruckenaviensem. Aut merae adhibentur illae aquae aut vario modo temperatae; optima haud dubie est conjunctio unius alteriusve harum aquarum cum sero lactis dulci, aut subacido, praesertim si alia Ferri praeparata nondum adhibita sunt. Nonnunquam aquae martiatae, inprimis si frigidae bibuntur, ventris dolores excitant, quibus in casibus aut calefaciendae sunt, aut infusum ex amaris remediis, ut herba Trifolii fibrini, paratum per aliquod tempus praemittendum est. Ceterum aquae martiatae non solum interne, sed externe etiam adhibentur, nimirum balnea martiata. Si quid impedit, quominus aquae martiatae nativae in usum vocentur, artificiales parandae sunt: Rec. Ferri sulphurici crystallisati 3ß, Sacchari albissimi 3jß. M. f. Pulv. div. in partes aequal. No. VI. S. — Rec. Natri carbonici aciduli 3ß, Sacchari albiss. 3jß. M. f. Pulv. div. in part. aequal. N. VI. S. — Singulorum pulvis unus in aquae destillatae phiala dimidia solvatur et uterque liquor mixtus inter effervescentiam bibatur.

§. 16.

Indicatio tertia ad symptomata maxime perspicua atque urgentia spectat. Quodsi plexus nervorum abdominalium hyperaesthesi laborant, remediis demulcentibus, antispasmodicis opus est, quorum non omnia, ut gummi Ammoniacum, Asa foetida, teste *Schönlein* feruntur, inprimis doses majores, plerumque illae exhibitae, sed potius Castoreum, aut guttatim, forma tincturae, aut in pilulis, cum amaris aliisque tonicis mitioribus. Quum primum aegrotantes ad convalescentiam propius accedunt, profluvium menstruale maxima attentione dignum est. Primis mensium moliminibus

apparentibus, aegrotae in lectulo detineantur, abdomen herbis aromaticis foveatur, facies interna femorum remediis irritantibus perfricetur, imo cucurbitulae cruentae applicentur; interne cum Ferri praeparatis conjungantur modicae doses herbae Sabinae, Croci, Aloës, ut congestio menstrualis in secretionem sanguineam mutetur; simul regimen universum attente curetur. Ubi oedemata, anasarca, ascites jam accesserunt, remediis supra dictis hydragoga, quae simul emmenagoga sint, addantur, ut Scilla maritima, doses minores gummi Guttae, Gratiolae, Hellebori nigri.

LITTERATURA.

Hippocrates, liber de morbis virginum.

Galenus, de causis symptom. lib. I. cap. 7.

Bouillaud, Récherches sur les divers bruits du cœur et des artères. Journ. hebd. T. IX.

v. Siebold, Frauenzimmerkrankheiten.

Copland, Diction. of pract. med.

Hufeland's Journal. Bd. XX., Heft 1.

Marcus, Jahrbücher d. Med. Bd. I., Heft 2.

Horn's Archiv für med. Erfahrung. Bd. V.

Neumann, Krankheiten der Menschen.

A. Beyer, Enchiridium medicum ad modum *Ioan. Kaempfii.* Berol. 1839.

Mende, die Geschlechtskrankheiten des Weibes 1831.

Lancette française. Juillet 1837.

Schoenlein, Allgemeine und specielle Pathologie und Therapie. Nach dessen Vorlesungen niedergeschrieben und herausgegeben von einigen seiner Zuhörer. St. Gallen 1839.

J. P. Frank, de curandis hominum morbis epitome. Vien. 1821.

Die medicinische Praxis der bewährtesten Aerzte unserer Zeit, systematisch dargestellt nach *Bartels*, *Baumgärtner*, *Berends*, *Berndt* u. A.

Encyclopädie der medicinischen Wissenschaften, herausgegeben von den Professoren der medicinischen Facultät zu Berlin. Berlin 1831. Th. VII.

VITA.

Ego Julius Ludovicus Erdmann Schreiber anno hujus saeculi duodevicesimo Berolini natus sum. Parentes, patrem Joachimum Christianum, matrem Mariam Elisabetham e gente Grothe jam defunctos lugeo; manes per totam vitam memoria mea pia persequetur. Confessionem profiteor evangelicam. Literarum rudimentis in hujus urbis Gymnasio Friderico Guilelmo et in instituto regio, quod nomen gerit Realschule, quae tunc temporis Beat. Spilleke directore florebant, imbutus per tres annos studio artis pharmaceuticae incubui, sed ingenti cupiditate impulsus artem pharmaceuticam cum studio medico commutavi et studiosis chirurgiae ab Beat. Rust adscriptus sum. Tum examine pro maturitate in Gymnasio Fridericiano sub dir. Clar. Bonnell superato, maturitatis testimonio structus, universitatem literariam Berolinensem Fridericam Guilelmam petii anno hujus saeculi trigesimo octavo. Cujus civibus me adscripsit t. t. rector magnificus Illustr. Boeckh et in medicam facultatem me recepit Illustr. Wagner, t. t. decanus maxime spectabilis, ibique horum virorum doctissimorum audivi praelectiones:

Illustr. Schlemm de syndesmologia, Illustr. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, Cel. Benicke

de logice, Illustr. Mitscherlich de chemia, Illustr. Link de historia naturali medica, Cel. Dove de physice, Illustr. Kunth de botanice, Illustr. Trendelenburg de psychologia, Cel. Ideler de anthropologia medica, Illustr. Joan Mueller de anatomia corporis humani, de anatomia organorum sensuum, de physiologia et de physiologia generationis. In arte cadavera rite secandi Illustr. Joan. Mueller una cum Illustr. Schlemm dux mihi fuit. Praeterea scholas frequentavi Cel. Eck de pathologiae generalis elementis, Beat. Meyen de plantarum generatione, Illustr. Schoenlein de pathologia et therapia speciali, Illustr. Busch de artis obstetriciae elementis, Exp. Troschel de chirurgia.

Exercitationibus interfui medicis Illustr. Schoenlein, chirurgicis et ophthalmiatricis Beat. de Graefe, Illustr. Dieffenbach et Illustr. Juengken, policlinicis Beat. Osann et Cel. Romberg.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quas possum maximas gratias habere nunquam desinam.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Hydrops non est morbus, sed symptoma.

II.

Matris vita praeferenda est vitae infantis, si tantum altera servari potest.

III.

Ligatura arteriarum tortioni praeferenda.

IV.

In ulceribus syphiliticis curandis curatio localis non sufficit.